

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Joh. Jonstoni Thaumatographia Naturalis**

**Jonston, Jan**

**Amstelodami, 1661**

Caput III

**urn:nbn:de:bsz:31-97032**

## CAPUT III.

## DE ALOE, AGALLOCHO

## &amp; ANTHEMIDE.

**A**Loë jecur offendi per quadraginta & amplius annos compertum *Scaliger* habuit, *Exerc. 160. sect. 3.* Iis vero, quibus venæ turgent aut aperiantur, minima ejus particula sumpta, illico deduci, certum est: Addit nempe aliquid de suo, quo hæc dehiscant vasa. Ex pillulis rosatæ, pyxidi lignæ inclusis aranei formati sunt, quorum globosi ventres pilularum & magnitudinem & colorem servarunt. *Gehlerus Epist. 2. de formica.* sic Doctori *Iohanni Prestio* succus glycyrrhizæ in vermiculos abiit, qui collecti in vitro in pulcherrimam mellaginem sunt resoluti. *Idem.* Alvum laxare nocissimum. Noverat tamen *Picus* quendam qui laxam alvum obfirmabat eadem *Agallochum* vero lignum est Aloes tam præstans, ut in aquam injectum non innatet, sed statim subsidat. Ab arbore dissectum, toto anno sepeliunt incolæ, ut terra obruti marcescat cortex, nihil erodatur è ligno. Nec alias odoratus futurum existimant, nisi prius teredinem senserit. *Simon Sethi* citante *Mathiol. Anthemidis* tanta cum *Cotula* cognatio est, ut visu discerni nequeant, odore tantum discernantur. Fœtet illa & cutim subito exulcerat alligata. Flores *Anthemidis* absque foliis decerpti tussique in mortario, & ex oleo in pastillos conformati, si ex eodem oleo dissolvantur, iisque febrientes à vertice capitis illidantur ad pedes, moxque stragulis, ut sudent, integantur, quasunque febres sanant, si sudor copiosus effluerit. Prodit id *Nicæssius Aegyptius, Mathiol. in Diosc. l. 3. cap. 137.*

CAPUT